



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Militibvs Et Popvlo castri Melgorij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Vite lib. 12.
p. epifoliam
i. & epif.
197.

est damnatus de hæresi vel de nece sancte memorie Petri de castronovo, et si de illis sit valde suspectus, (quare mandavimus ut si contra eum infra certum tempus appareret legitimus accusator, indiceretur illi purgatio secundum formam in litteris nostris expressam, diffinitiva nobis sententia reservata, in qua necdum est ex mandato illo processum) non intelligimus quis ratione possemus adhuc alij concedere terram ejus, qua sibi vel heredibus suis abjudicata non est; præsertim ne videremur in dolo castra nobis exhibita de suis manibus extorsisse, cum non solum à malo, sed ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinere. Nam si super duobus articulis quos comisimus aliqua contra eum præter formam mandati nostri sententia lata fuisset, illa proculdubio non valeret. Quocirca discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatinus cum nondum sit locus illi petitionis quam de terra ejus alij concedenda fecisti, modis quibus honestè poteritis studias prudenter & efficaciter laboreatis ut negotium bene inceptum dissolvi non possit, sed in suo potius robore convalescat. Nos enim venerabilis fratri nostro Regensi Episcopo & dilecto filio magistro Thedifio Canonico Ianuensi nostris damus litteris in mandatis ut secundum formam sibi datam in negotio isto procedant, & si per Comitem steterit antedictum quod minus ipsum negotium possit habere processum, ei & aliis publicè protestentur quod nos auctore Domino procedemus prout pacis & fidei causa requiret, ipsique nobis non differant meritis & plenam rescribere veritatem. Datum.

Epi. 103.
Hoc autem eos
ut obediens.
Videlicet epif.
17.

In eundem serè modum scriptum est illis usque in finem, sollicitè providentes ne in nostri executione mandati sitis tepidi & remissi, sicut haec tenus dicimini extitisse.

MILITIRVS ET POPVLO
cæstro Melgorij.

Epi. 103.
Hoc autem eos
ut obediens.
Videlicet epif.
17.

Gaudemus plurimum, devotionem vestram & fidelitatem in Domino commendantes, quod pari ac unanimi, prout accepimus, voluntate congratulamini vos & comitatum vestrum ad ius & proprietatem Ecclesie Romanae ac nostram specialiter pertinere, suppliciter exorantes ne vos jurisdictioni alterius supponamus. Nos igitur vicem gerentes illius qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, monemus universitatem vestram & exhortamur attentius, & per apostolica vobis scripta mandamus quatinus in fidelitate ac devo-

tione sacrosanctæ Romanae Ecclesie ac nostra firmiter ac unanimiter persistentes, tales in omnibus & per omnia vos exhibere curetis quod de die in diem gratiam & benivolentiam sedis apostolicæ mereamini ampliorem, scituri quod nos de pace ac statu vestro & terræ vestre sollicititudinem cupimus gerere diligentem. Datum Laterani Non. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

MARIAE ILLVSTRI REGINÆ
Aragonensis, & hominibus Montispeffulani.

Epi. 104.
De dominio
Montispeffulani.

G Ravem dilecti filij nobilis viri Willi-
elmi de Montepesulano fratris tui, filia Regina, receperimus questionem quod possestionem ville Montispeffulani ac alterius terra jure ad ipsum hereditario pertinentis, quam ipse pridem pacifice noscitur habuisse, contra justitiam detinetis & restituere denegatis eidem. Cum igitur terræ ipsius jurisdictio ad nos spectare noscatur, volentes praedicto Willelmo in suo iure adeste, qui sumus omnibus in justitia debito, discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatinus vel dictam possessionem restituatis eidem, vel usque ad festivitatem omnium sanctorum proximò venturam per responsales idoneos nostro vos conspectui præsentis, exhibituri & recepturi justitiae complementum. Alioquin ex tunc in ipso negotio, quantum de jure poterimus, auctore Domino procedemus. Datum Laterani viii. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

ARCHIEPISCOPO TARANTASIENSI,
& Episcopo Gebennensi, & Abbatu sancti Mauritiu de Cablasio.

Epi. 105.
De pravis mo-
ribus monas-
chorum Mon-
tis Iovis.

Dilectus filius P. de sancto Albino in nostra propulsu præsentia constitutus quod domus Montis Iovis, quæ olim sanctæ religionis effundebat odorem, facta mutatione dexteræ in sinistram, adeo miserabiliter in spiritualibus & temporalibus est collapsa quod jam penè penitus corruit quæ multorum consueverat relevare ruinam, facta nunc scandali & dissensionis exemplum quæ quietis & pacis extiterat documentum. Cum igitur idem P. quem domus ipsius ruina gravabat, laborare dum intenderet ut status reformaretur ejusdem, fratres existentes ibidem, qui regularis disciplinæ relaxatis habenis, correctionis onera non ferentes, per campum licentiae vagabantur, suarum sequentes impetum voluntatum, dictum P. ab incepto misis, terroribus, & passionibus illicitis re-

L. L. iij